

ter agere velit, tendat oportet. Bonum ceu necessarium facultatis adpetendi obiectum in *physicum*, per quod *enti bene est*, et in *personale*, per quod *ens bonum est*, dividi solet: ad illud bona *grata* et *utilia* referuntur; hoc autem *ipsa moralitas* dicitur: illa variabilia et limitata esse comperimus, hoc nunquam non bonum, et sine hoc nihil aliud bonum esse potest.

XXXII. Sensiones gratæ diversarum specierum existunt: alias organis crassioribus *tactu*, *gustu* et *olfactu*, alias subtilioribus *auditu* et *visu* percipimus. Similiter per *imaginandi facultatem*, per *intellectum* et *adpetitum* plurimæ nobis voluptates adveniunt. Verum omnia isthæc bona, utut unum altero excellentius sit, per se *pretium duntaxat relativum* habent: proinde homo quibuscunque seu naturæ seu fortunæ donis locupletatus, prudentia quidem et dexteritate præstabit; *pretium tamen personale* et *dignitatem* eidem propterea haud adiudicamus. Sola moraliter BONA VOLUNTAS supremus illius, ad quem contendat, finis esse comprobatur.

XXXIII.